

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

Ambrosivs Calepinvs Eremitanvs Senatvi, popvlo'qve Bergomensi

[urn:nbn:de:bsz:31-107476](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107476)

AMBROSIVS CALEPI-
 NVS EREMITANVS SENATVI,
 POPVLO'QVE BERGOMENSI,
 S. P. D.



LVRES anni sunt, magnifici, consummatissimiq; vi-
 ri, ex quo à prophanis, tum veteribus, tum recentibus:
 vel à catholicis, & his sanè doctissimis, sanctissimisq;
 viris complurimas dictionum interpretationes, quæ
 mihi ad pernoscendas authorum sententias idoneæ vi-
 derentur, excerpere, atq; in unum cæpi cogere. Quod
 planè opus sic à me susceptum esse velim existimetis, ut aliis, & mihi in pri-
 mis, usui quandoq; futurum considerem. Non enim tam iustruendorum
 aliorum, quàm mei exercendi ingenii gratia, id efficere aggressus sum. Nam
 cum à teneris (ut ajunt) unguiculis inter sacratorum numerum, faventi-
 bus superis, relatus fuisssem: & neq; declamationibus, refragante natura,
 me dedendum putarem: neq; percipiendæ philosophiæ ulla mihi à patribus
 facultas daretur: quippe qui in id temporis incidissem, quo de salvandis ani-
 mis tantummodò cogitandum foret, cum nec tempus omninò frustra tere-
 dum ducerem: haud iniqua res visa est, ea me amplecti studia, quæ certam
 præ se ferrent humanitatem. Neq; verò eò vel temeritatis vel dementiæ re-
 ductus sum, ut bonarum artium studiosis satis me factæ posse existimem,
 quando nemo, licet sapientissimus, id unquam præstare potuerit, certoq;
 sciam, me nec tanto ingenio, tantæve literatura præcellere, ut quæ à Nonio
 Marcello, Festo Pompeio, Padiano, Servio, Donato, Varrone, cæterisq; La-
 tina lingue luminibus elucubrata fuerint, eo ipse magis religioni dedicatus,
 quàm cuiquam disciplina, clarius aut enucleatius scribere posse considerem.
 Verùm quia in præstantissimis illis literarum antistitibus plurima deside-
 rabantur, ego ut communi studiosorum utilitati consulere; ac meis pro-
 viribus suscepti muneris officio cumulatisimè satisfacerem, ea carptim ex
 omnium penè disciplinarum monumentis exprimere conatus sum: multa
 contra Laurentium Vallam, contra Priscianum, aliosq; auctores, præstan-
 tiorum auctoritate nixus. Plus enim apud me Ambrosii, Hieronymi, vel
 Augustini gravitas & doctrina valet, & Græcorum, quàm Laurentii
 Valle studiosa reprehensio. Id autem benè, malève fuerim affectus, judicent
 alii. Hoc unum affirmare ausim, nostrum hoc Opus & Vocabulorum mul-
 titudine, & præpositionum interpretamento, & authorum citatione, ordi-
 neq; Dictionaria cuncta superare. Quod cum in volumen amplum excre-
):(3 visset,

E P I S T O L A.

visset, ac illud multorum rogatu emittere statuissem, patriam elegi, cui id dedicarem. Nam cui potissimum consecrari opus dere literaria debuit, nisi patriæ? Et illi quidem patriæ, in qua magno et excellenti ingenio viri sunt, qui de gravitate, de juris prudentia, deq; omni scientiarum genere præclare meriti essent, quos ego tanquam obices oblatrantibus conslitui opponere. Ferè enim pleriq; omnes, qui in literis præsertim aliquid edidère, id Principi vel Senatui cuiquam inscripsere, querentes ut ab eorum potentatu ac magnitudine, laboribus suis apud omnes auctoritatem, et ab invidis tutelam, munimenq; pararent. Prudenter id quidem, quando ita veteri consuetudine fieri videmus, ut omni in re, quæ principes probant, ea ceteri laudent, cupiantur. Scio namq; futuros esse, qui labori nostro detrahant. Ita enim fit, ut quæcumq; mortales agant, si ve privatim, si ve publice, calumnia subjacere certum sit: nec diuinis operibus maledica lingua parcit, tantum sibi humanus arrogat intellectus. Ego nõ nisi volentibus hæc legenda trado. Multa sanè, fateor, à me tradita sunt, quæ alii probet, ab aliis vitio dentur: quod pleriq; etiam doctissimis usu evenisse compertum est. Velle suum cuiq; est (inquirit Poeta) nec voto vivitur uno. Domus quæ apud forum extructa est, quod editior sit, vel depressior quam equum videatur, sæpè contenditur. Difficile reor, omnibus placere posse. Sed ego non solum cuiquam me non præpono, sed nec equiparo quidem, eligens cum Propheta abjectus esse in domo Dei. Quare si meum Opus à vobis acceptum fuerit, illumq; probasse videamini, abesse non poterit, quin à tam gravibus, tam doctis, tam eloquentibus viris laudatum, laudandum quoq; reliqui existiment. Multa verò, imò penè innumerabilia desunt in hoc Opere. Quis enim uniuersa multis etiam queat comprehendere voluminibus? Verumne longius epistolam evagari patiar, finem dicendi faciam, si modo hoc unum vos monitos effecero, quod ad rem plurimum conducere videtur: quippe quod unamquamque dictionem inventu facilem reddit. Nam omnes orationis partes aut simplices sunt, aut composite. Quæ simplices sunt, suo queq; loco produarum, triumve literarum precedentium ordine collocantur. Compositarum alias simplicibus, alias per se, secundum variam, multiplicemq; earum significantiam, coaptatis.

ab A litera initium sumens.

VITA